


## DE ESSENTIA IMPEDIMENTI IMPOTENTIAE.



«Impotentia prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi sed impotentia coeundi seu perficiendi copulam.»—Sic universae Scholae interpretes Lucius Ferrarius in *Prompta bibliotheca canonica, iuridica, morali, theologica*, ad verbum: *Matrimonium*.—Sic et nos vestigiis omnium insistentes, in duplici disputatione quam hac de re, annis elapsis, in praesentis periodici fasciculis instituebamus. (1)

Verum in periodico eodem (2) ad quaesitum:

«In quo constituenda sit intrinseca essentia impedimenti impotentiae» eximius theologus aliquis publici iuris responsum hoc suum fecit, nimirum:

«Impotentia matrimonii proprie est, secundum suum fundamentalem et generalem conceptum, impotentia ad generandum, non impotentia ad coitum.»

Cum utique de quaesito hic agatur ad praxim maxime conferenti, nec oleum nec operam perdidisse existimabo, si pacifico animo atque solius veritatis amore incensus, laudati cl. theologi argumenta ad trutinam ea mente adduxero, ut sciam, utrum, reiecta quam hucusque propugnabam communi sententia, novam amplecti certa ratio suadeat.

\* \* \*

Recolendum imprimis est propositum dubium discutiendi occasionem fuisse casum moralem de Berta puella, quae, ut nasciturae forsitan prolis molestias sibi vitaret, nonnisi prius utero et ovariis extractis, matrimonium inierat.—Fuit ne validum aut se-

(1) Cfr. *Analecta Eccles.* Vol. VII, pag. 274, 380.—Vol. 10, pag. 85, 135, 225, 313, 466. 494.

(2) In fasc. praec. huius adni 1903, pag 228.